



Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 388. 389. De manso et mancipiis traditis in villis Amalgateshus et Halchrissun intra pagos Tilithi et Hessi Saxonicum, nec non de origine nobilium Dominorum de Buren.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

Ab anno
922 vique
942 re-
gnante
Henrico I

§. 388.

Tradidit hirimannus pro fratre suo adalrico I mansum et V iurnalem in amalgatesbus (p).

§. 389.

Tradidit raginuardus quinquaginta quatuor mancipia in halchrisfun (q) pro filio suo herimanno.

§. 390.


anno 932 est mortuus. Hæc traditio ante annum 929 peracta est, vt infra patet. Quocirea nihil impedit nos, quo minus *Tiatmarum* pro illo *Tiatmaro* habeamus, de quo egimus supra §. 314, 339, 318, et 345. Cum autem ex nostra sententia *Tiatmari* nostri proauus fuerit *Haddo*, filius *Brunonis* ducis ac frater *Eberti* ducis, eadem sententia, si nitamus bonis a *Tiatmaro* nostro traditis, probabilius redditur. Quidquid *Haddo* tradiderat, id era situm in villa Stalo intra pagum Auga, testante §. 21. Hæc villa Stalo ne quidem iter dimidiæ horæ a villa *Slobiki*, in qua *Tiatmarus* quædam sita fuit largitus, disiuncta erat. Ambæ autem villæ vix iter duarum horarum a celebratissimo castru *Brunisburgo* distabant. Credamus ergo, *Tiatmarum* fuisse et abnepotem *Brunonis* ducis et cognatum *Herdagis*, pronepotis *Widekindi Magni*.

De villa
Amalga-
teshus
in pago
Tilichi.

(p) *Amalgatesbus* erat, Registro nostro testante, in pago *Tilichi*, quem ad Wiseram in praefecturis Polle, Gronde, Ohlsen atque Artzen extitisse, iam supra vidimus. Putamus ergo, designari per *Amalgatesbus* vicum *Amelgosen*, in praefectura Artzen inter vicos *Hæmelschenburg* ac *Wellen* situm. Sed quis ille, queris, *Herimannus* fuit? Respondemus, id nolis plane prorsus haud constare. Nomina interrim Herimannorum in stirpe *Widekindea* crebro satis repertuntur. In pago *Huetigo*, qui pago *Tilichi* erat contiguus, familiam *Widekindeum* bona possedisse hereditaria, omnino supra demonstravimus. Non ergo veri si simile, *Hirimannum* cum fratre *Adalrico*, sic enim dux Ostfalarum Hessi seu *Asg* appellabatur, ad gentem spectasse *Widekindeum*. *Hirimannum* nostrum fuisse filium *Bardonis II*, probabile nobis videtur. Si quis autem nostra sententia refragari maluerit, ei non inuidemus dissentendi libertatem. Coniecturas enim nostras tantum afferre voluimus in medium, quibus non vbique inest summus probabilitatis gradus.


De villa
Halchris-
fun in
pago
Hessi Sa-
xonico.

(q) Villa *Halchrisfun* collocatur ab abbe nostro Sarachone in pagum *Hessi Saxonum*. An ipsa fuerit *Haldreschen* vicus, qui circa annum 1329, funditus fuit datus, testante *Chronico Rhytmico Hassiaco* in Cl. Kuchenbeckeri *Anal. Hass. collect.* VI. p. 273, nondum pro certo adfirmare libet. Illud interim nobis videtur probabile, *Raginwardum* fuisse illum *Reinwertum*, qui supra §. 344 appellatur *filius Widekindi*, et quem l. c. patruum reginæ *Mabtilde* appellauimus. De his confer, si placet, §. 229. 275. et §. 339. Inde hoc genealogicum schema emerget et enascitur.



Con-

Connexionem horum dominorum genealogicam usque ad *Herimannum* optimo niti fundamento, facile dabunt rerum periti. *Herimannum* autem fuisse patrem *Ranwardi* eiusque fratum, nondum demonstrare licet testimonis scriptorum coetaneorum. Conclusimus vero illud e nominum similitudine, ac situ bonorum, ab his dominis possessorum. Nonne vero probabile videtur, *Herimanno* I. num filio cuidam suo indidisse nomen ab aucto eius petitus? Chronologia sane huic sententiae nostra non repugnat. Sumamus vero, ut iam supra §. 225 statuimus, *Widekindum*, filium *Ragenberi*, natum fuisse anno 854, atque anno XXX etatis sua vxorem duxisse. Ita *Ragnwardus* vitali auram primam haurire potuit anno 885. Quodsi porro *Ragnwardus* atque *Herimannus* connubio sibi iuxerunt thalami locas anno XXX etatis sue, vitam excipere potuerunt *Herimannus* et *Ranwardus* anno 916, tunc anno 947, *Volkter* anno 948, atque *Ekkio* anno 949. potuere nasci. *Ranwardus* itaque circa annum 1013 adhuc in viuis esse atque aliquid dare potuit. Quodsi adhuc certum esset, per villam *Bilfli* in *Vita Meinwerci* T. I. Leibn. p. 533. n. 37. designari vicum *Bilfli* in principatu Waldeccensi intra praefecturam Landau; tunc, ea data conditione, *Walberthum*, qui in eadem villa quædam tradidit ecclesie Paderbornensi, ad hoc ipsum stemma referre vellemus et perhibere, eundem fuisse *Herimanni*, vel potius fratris *Herimanni* filium. Probabile enim nobis videtur, patrem *Walberthi* huic filio suo nomen indidisse, a progenitoribus suis petitus. Sed hoc in medio relinquimus. Illud vero probabile reddi, speramus, quod prædictus *Widekindus*, qui, teste §. 344, in villa Burriun, a qua dynastia Burana postea nomen accepit, ecclesie Corbeiensi aliquid tradidit, satorum fuisse celebratissimorum dynastarum de Buren appellari solitorum, quorum e diplomaticis, partim editis, partim ineditis, annotauimus nomina, que tabulae inclusim sequenti, referuatis probationibus in aliud tempus. Iam nihil aliud addimus, nisi quod contendimus, ultimum huius familie fuisse *Mauritium*, non Arnoldum. Hoc posterius H. A. Meinders perhibet in *tractatu de statu religionis et reip. sub Carolo M. p. 482*, docens, Arnoldum fuisse addictum Societati Iesu, totamque dynastiam Buranam cum toto territorio, villis atque oppido anno 1660 collegio Societatis Iesu, quod Paderborna floret splendetque, tradidisse, iurisdictione sola Principi Paderbornensi reseruata. En tabulam genealogicam.



FFF f 2